Lane Medical Library

NONNULLA
DE
METEORISMO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI. M. MAII A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS WOLLMANN

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

HENR. DIESTEL, med. et chir. Dr., med. milit. sup.
SIGM. EPHRAIM, med. et chir. Dr., med. pract.
JOS. MEYER, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO DILECTISSIMO

MAURITIO MARTINI,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS SANITATIS INTIMIS, SILESIACI PROVINCIALIS MOROTROPHEI LUBENSIS DIRECTORI, EQUITI ORDINIS DE AQUILA RUBRA, MULTARUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Abdominis inflatio per gasa, quando gasis species intra canalem intestinalem exstant, tympanites intestinalis seu meteorismus vocatur; ubi vero illae saccum implent peritonealem, tympanites abdominalis vocatur.

Diagnosis abdominis per gasa inflati omnino, opposito abdomine per liquidas materies stillaticias in sacco peritoneali accumulatas, vel per tumores variorum abdominis organorum tumefacto, primum percussione exhibetur.

Si intestina, abdominis tegumentis non nimis tensis, per gasa vehementer inflata sunt, sonus percussionis prope in toto abdomine aeque valde clarus et tympaniticus exsistit, raro clangore metallico.

Quum intestinis per gasa inflatis simul abdominis tegumenta valde tensa sunt, percussionis sonus per totum abdomen aeque non tympaniticus minusque clarus est quam illo in casu.

Itaque imprimis characteristicum in abdominis infla-

tione per gasa iste est in toto abdomine aequalis sonus percussionis, eoque potissimum ab intumescentiis per exsudata liquida in sacco peritoneali differt. Haec enim, nisi in saccis exstant propriis, locum semper intimum obtinent, pro aegroti quidem situ vel positione; ubi liquor copiosus collectus est, ibi percussionis sonus obtusus.

Diagnosis igitur meteorismi a tympanite (abdominali) nisi ex anamnesi fieri non potest.

Gasorum accumulationes in sacco peritoneali sub his reperiuntur conditionibus.

1) Frequentissime gase intestinali effuso, intestino rupto, in sphacelo, ulcere, vel ventriculo, seu intestino tam emollito, ut gas evadere possit.

2) Rarius gas evolvitur in sacco peritoneali, per processum inflammatorium simul productum, aut in decompositione exsudati depravati.

3) Rarissime est productum secretionis alienatae.

In casu primo diagnosis antegresso acuto vel chronico processu morboso membranae mucosae tubi digestivi confirmatur.

In casu altero simul cum tympanite abdominali certe meteorismus exstat. Hic igitur casus ad diagnosin minus habet momentum. Quod ad casum attinet tertium, quem apud Rokitansky solum memoratum inveni, conditiones, sub quibus secretio sit alienata accu-

ratius definiendae sunt, quum, quod equidem sciam, hoc nondum factum sit. —

Meteorismus in hominibus morbus peculiaris non obvenit, sed solum alios morbos concomitans (1).

Creberrime meteorismum conspicimus in peritonitide, id est in hyperaemia peritonei cum exsudatione. In undecim casibus peritonitidis acutae cum exitu letali, Andral sexies meteorismum invenit; in individuo septimo non est exploratum, abdominis insignem intumescentiam a gasis intestinalibus profectam esse; in sectione quidem ea non memorantur. Omnino in tribus solum personis etiam mortuis meteorismus adhuc reperiebatur. In secundo vel tertio morbi die incedere solet, intensitate usque ad sextum vel septimum diem increscit, et aut plane disparet, aut minutus usque ad obitum persistit. Andral decursum alicujus meteorismi rapidissimum refert, qui usque ad mortem semper increscebat, et in secto cadavere adhuc eodem gradu alto inveniebatur. — Persona erat mu-

(1) Morbus peculiaris crebro meteorismus in ruminantibus occurrit; in bove, ubi maxime post copiosum diuque desideratam fructum pabuli viridis oritur, saepe numero gradum summum adipiscitur, ut ruptura partis intestini insequatur, nisi gas abdomine puncto elicitur. Gasis species a complnribus inquisitae sunt: Flueger (in duobus casibus) 20—60% acidi carbonici et 40—80% gasis hydrocarbonici; Vogel 27% acidi carbonici, 48% gasis hydrocarbonici, et 25% aëris atmosphaerici; Lameyran et Fremy denique repererunt 5% acidi carbonici, 15% gasis hydrocarbonici, 5% aëris atmosphaerici et 80% gasis hydrothionici.

lier undetriginta annorum, quae facile et tempore justo pepererat. Paullo post partum haemorrhagia ex genitalibus exstitit, quae glacie in hypogastrium imposita et succo citri ad collum uteri adhibito, tractabatur. Lochia regulariter fluebant; quarto die cessabant, peculiari quadam causa non apparente, et abdomen valde dolebat. Statim vehementer inflatur, pressumque dolorificum est. Numerus respirationum est adauctus, nec minus numerus cordis contractionum. Cutis calida et sicca; tussis et sputa non adsunt, nec lingua obtecta. Ex duobus diebus nulla sedes; nausea et vomitus non exstant; facies pallida, oris lineamenta mutata; aegrota animo admodum demisso. Supra symphysin ossium pubis nullus sentitur tumor, et collum uteri sine dolore tangi potest. (Praescribuntur viginti hirudines abdomini applicandae, uncia olei ricini in jusculo, emollientes fomentationes, clysmata). Oleum ricini semper illico evomitur; die procedente aegra fit aperte debilior; totius corporis cutis flavide tingitur, et mane diei sexti perfectus evaserat icterus. Ceterum abdomen semper valde tumefactum erat et dolorificum, nec ulla omnino in aegrotae statu immutatio conspici poterat, nisi increscens quaque hora virium consumtio. Vesperi diei sexti post partum obiit, necdum tribus diebus exactis, postquam abdominis dolores exstiterant. Paucis horis ante obitum abdominis intumescen-

tia gradum insolitum occupabat, et in toto pariete anteriori resonabat uti tympanum.

Obductio haec monstrabat: abdomen ut in viva erat tumefactum. Quum abdominis parietes inciderentur, forte ansa intestinalis pungebatur, et magna copia gasis ex tractu intestinali cum strepitu exiit. Inter intestina substantiae albae albumini similes collectae erant, quae illa inter se jungebant; ceterum nullum organisationis ostendebant vestigium. Album crassumque pus cavum pelvis minoris implebat; multis in locis tela cellulosa sub peritoneo sita valde erat injecta. Ventriculi facies interna prorsus pallida; contra totum duodenum fortiter rubefactum; copiosa vascula in tela cellulosa submucosa intestini tenuis ramificabantur; intestinum crassum album erat et faecibus duris refertum. — Hepar neque in parenchymate, neque in ductibus biliferis abnormitatem quandam exhibebat; uterus ad volumen consuetum reversus, cavum habebat satis amplum et internus valde injectus erat. Organa thoracis et cranii normalia.

Hic casus etiam propterea memorabilis, quod meteorismus in ipsa puerperae peritonitide tam altum occupavit gradum, dum Andral in puerperis plerumque meteorismum nullum, e contrario abdominis parietes perquam laxos invenit.

Sectio ex peritonitide mortuorum, in quibus meteo-

rismus obvius erat, quod conditionem membranae mucosae intestinalis attinet, nulla discrimina ab iis, quibus deerat, offert, id est, membrana ista mucosa in universum integra est. In uno casu, ubi meteorismus in intestino tenui sedebat, sex pollices supra valvulam ileocoecalem intestinum modice injectum erat. In casu altero in exitu intestini tenuis quatuor ulcera exstabant, quae quidem cum meteorismo conciliari nequeunt, quoniam hic, ut percussio in vivo instituta docuerat, (nam in cadavere ejus nullum amplius vestigium supererat quam intestini extensio) sedem in colo fixerat.

Cum diarrhoea vel alvo adstricta meteorismus certo quodam modo consociari nequit. Aliquando meteorismus die morbi ingruerat septimo, et modicus usque ad duodecimum constiterat, quo die aegrotus vehementem passus est diarrhoeam, quacum simul meteorismus insigniter auctus est. Sectio intestinum tenue modice per gas extensum, ceterum plane sanum monstrabat. Cui casui oppositus est alius, ubi meteorismus tertio morbi die incessit, et duos adhuc dies alvo prorsus adstricta increvit; qua obstipatione sublata, cum evacuatione aucta, meteorismus minuitur, ita ut usque ad mortem omnino evanuisset. Hic est supra memoratus casus, in quo ulcera inveniebantur intestinalia.

Haud parvi duco momenti id, quod in casibus qua-

tuor, ubi meteorismus apparuerat nullus, abdominis cavum semper magna copia liquoris stillaticii repletum erat, ita ut hic potuerit ortum meteorismi mechanice impedire.

In casu primo (peritonitide post acutum rheumatismum articularem exorta) abdomen extremis morbi diebus insigne nactum erat volumen, et fluctuatio facile potuerat sentiri. In sectione statim post abdominis parietes incisos multus intensive ruber liquor conspiciebatur, in quo nonnulli flocci albi natabant; liquor totum saccum peritonealem plane explebat, et sanguinem recens ex vena missum aequabat; praeterea neque reperiebatur, quod coagulatis globulis sanguineis par erat, nec ullum vas majus erat apertum. Morbus insuper tribus diebus decurrerat, id quod in peritonitide (sine intestini perforatione) nonnihil est insolitum.

In casu secundo valde dolorificum abdomen supra umbilicum laxum fuerat, infra hunc autem tensum, et tumor sentiebatur non stricte circumscriptus, qui ex intestinis in massam unam conjunctis constare videbatur. Sectio totum intestinum tenue in unam molem conjunctum per mollia adhaerentia, quae facile secerni poterant, docuit. Totum intestinum externum albo duasque lineas crasso exsudato contectum erat, quod magnis floccis solvebatur. Infra id peritoneum valde rubefactum;

totus saccus peritonealis liquore impletus, qui flori lactis par erat.

In casu tertio rubidus liquor copiosus in sacco peritoneali exstabat.

In individuo quarto vivo magnus tumor in hypogastrio comparuerat, globulosus ille et durus. Abdomen magnopere erat tensum, ad tactum dolorificum et exiguam prodebat fluctuationem. Sectione inveniebatur in cavo abdominis multus liquor turbidus, in quo plures flocci natabant albuminosi. Tumor, quem memoravimus ad sinistram et supra vesicam urinariam exstabat. Turgescebat liquore aquae instar claro repletus, in quo sex vel octo hydatides magnitudine nucis juglandis innatabant. Cystae folliculus erat tela fibrosa, passim etiam cartilaginosa.

Casus quintus erat peritonitis ex aneurysmate arteriae iliacae communis dextrae. Aeger aquam hauriens subito dolorem in regione lumbari senserat, ex quo tempore morbus amplius evolvebatur. Abdomen postea aequaliter erat tensum et resistens, pressumque dolebat. Haec tensio non desistit, quamquam aegrotus postremo se prorsus valere sentit.

Sectio. Liquor sanguinolentus ex abdomine effluit, simulac paries perscissus est. Coagulati sanguinis globuli intestina contegunt, et pelvis explent cavum. Mol-

lia et sanguine effuso rubefacta adhaerentia ansas intestinales inter se jungunt, ita ut firmam constituant massam: illis separatis in loco, quem alias mesenterium obtinet, tumor apparet ex fibroso exsudato constans, cujus densitas a peripheria ad centrum decrescit; strata extrema pigmento carent. In medio sunt nonnulli molles globi, eos aequantes, qui peritoneum replent. Hae massae fibrosae bifurcationem aortae descendentis et initia arteriarum iliacarum obtegunt. Ipsam ad bifurcationem in arteria iliaca dextra ruptura est irregularis, magnitudine nummi quatuor fere grossorum. Ad parietes rupturae membrana arteriae externa ab interna sejuncta est. — Hoc in casu Andral rupturam arteriae jam cum primo doloris impetu in regione lumbari incepisse et sic peritonitidem genuisse existimat.

Quatuor casuum peritonitidis acutae cum exitu in sanationem in tribus exstitit meteorismus. In uno casu meteorismus cum obstipatione sublata recedebat; in altero paullatim evanescebat cum symptomatibus ceteris; in tertio prodibat die septimo, octavo gradum altissimum obtinebat, et nono disparebat.

Ubi nullus meteorismus exstiterat, ibi magna fiebat exsudatio hydropica, ita ut abdomen volumen ingens consequeretur; qua exsudatione per urinam remota aeger convaluit.

Quod ad peritonitidem chronicam spectat, Andral in duobus tantum de duodecim casibus meteorismum reperit. In uno casu meteorismus perpetuo increscebat, licet cetera symptomata omnia cessarent, ita ut aegrotus nosocomium relinqueret, quum, excepta insigni abdominis intumescentia, se plane sanum sentiret. — In casu altero peritonitis puerperalis erat, ubi die duodecimo meteorismus oriebatur, qui quidem paullo post iterum disparebat. Etiam quando Andral in plerisque casibus peritonitidis chronicae meteorismum non commemorat, hoc nondum comprobat, eundem omnino non exstitisse, namque apud plerosque aegrotos morbus jam diu constiterat, antequam illius curae traderentur. Plerique casuum relatorum peritonitides tuberculosae sunt, semperque cum maxima exsudatione liquoris stillaticii junctae. Louis de hoc posteriore morbo (in libro suo »sur la phthisie«) observationibus accuratis institutis ait, medicum ad aegrotum advocatum tempore, in variis individuis valde vario, praesentiam fluctuationis vel meteorismi, gradus sive superioris sive inferioris, constituere posse. Postquam fluctuatio aliquamdiu aucta est, comminuitur ac postremo evanescit, meteorismo persistente. Ubi statim ab initio gradu minore incessit, post aliquantum temporis imminuitur, tumque se manifestant intestina, ita ut abdomen tamquam tuberosum sentiatur.

In peritonitide partiali, quam Andral in inflammationem omenti, partium peritonei lateralium et pelvis involucri distribuit, in multis. sane brevissimis observationibus semel tantum meteorismi mentionem facit, et quidem in epiploitide. Attamen ex epiploitide consecutiva universalis peritonitis acuta prodierat, ac praeterea maximus in epiploo erat tumor cancerosus, qui, a symphysi ossium pubis trans umbilicum porrigebatur, ita ut mechanicum impedimentum, quominus gas exiret, fuisse possit. Sedes meteorismi in colo transverso erat et in ventriculo, qui posterior gase tantopere erat extensus, ut totam regionem epigastriam plane expleret, et deorsum duos vel tres pollices supra umbilicum porrigeretur.

Quoniam exploratum est, in intestino sano gas evolvi (1), sive productum membranae mucosae sive pro-

(1) Optimae disquisitiones de gasis intestinalibus in organismo sano nascentibus a Magendie et Chevreuil factae sunt. Instituerunt in tribus morte mulctatis statim post supplicium, ita ut gasis evolutio in cadavere nondum statui posset. Duo priores miserorum duabus horis ante necem pane, caseo et vino rubro fructi erant; tertius contra quatuor horis ante supplicium, pane, carne bubula, lentibus et vino rubro.

Repererunt in intestino tenui haec gasa:

	I.	II.	III.
acidi carbonici	22,39	40,00	25,00
hydrogenii	55,53	51,15	8,40
nitrogenii	20,08	8,85	66,60
	100,00	100,00	100,00

cessus digestivi, gasis collectio in tractu intestinali (meteorismus) mechanicis impedimentis excretionis intestinalis praesentibus jam a priori verisimilis est, et factis approbatur. Saepenumero in individuis ex hernia incarcerata laborantibus supra incarceratam partem intestini meteorismus deprehenditur. Louis exemplum memoriae prodidit, quod hic gravissimum est: puella scilicet viginti annos nata, constitutione bona et regulariter ex quinque annis menstrua, die Novembris undevicesimo nosocomium Beaujou adiit, seque ex mensibus duodeviginti et dimidio aegrotare dixit. Affectio cum vehementi ingressa erat colica, comitante meteorismo et gargaritatione in abdomine. Quae phaenomena paullo post cedebant, sed in intervallis duarum vel trium hebdomadum redibant: qui status decem menses perstitit, et aegrota passim adeo per quatuor hebdomades optime valebat, abdomine nec dolente, nec intumescente. Tum singuli impetus sibi semper magis appropinquaverant, donec

---

	I. in intestino crasso	II.	III. in intestino recto
acidi carbonici	43,50	70,00	42,86
hydrogasis carbonici	5,47	11,60	11,18
hydrogenii	„ „		„ „
nitrogenii	51,03	18,40	45,76
	100,00	100,00	100,00

Apud primum et tertium etiam gasis hydrothionici vestigia inveniebant.

postremo sine intermissione perdurarent; interea aegra bono gaudebat appetitu, imo majore quam in conditione prorsus sana, primis diebus quatuordecim, ubi dolor et meteorismus constiterant, nec diarrhoea vexabatur. At in tribus extremis hebdomadibus appetitus ciborum magnopere minutus erat, et paene nullus quum in nosocomium reciperetur; morbi phaenomena, quae memoravimus, intensitate valde increscebant, nec alcalica balnea in usum vocata quidquam profuerunt. Decimo die Januarii, quinquagesimo post receptionem, ista symptomata efferebantur, et dimidia quaque hora exacerbationes fiebant. Dolores vehementissimos spasmi comitabantur, abdomen magis etiam extendebatur et tuberosum sentiebatur; pressio eo, quod gas removebatur, strepitum singultientem excitabat, qui in distantia quadam audiebatur. Color interea cutis vegetus, genae rubefactae, exigua macies, intelligentia perfecta, sensus non turbati, normalis pulsus et temperatura. Aegrota neque frigus, nec sudorem patiebatur, nec de tussi neque de pectoris doloribus conquerebatur, sed raro tantum alvum deponebat (infusio menthae et clysmata adhibita). Usque ad ineuntem Martium hic status modo paullum mutabatur: dolor et intumescentia abdominis prope eadem atque antea; interdum vomitus exoriebantur; appetitus inopia completa, macies mediocris tussisque tam rara, ut aegrotae juxta cuban-

tes eam plane non tussire affirmarent; per hebdomadem bis tantum vel ter alvum exonerabat. Quuarto die mensis Martii dolores abdominis augescebant, quinto etiam fortiores fiebant, et vel lenissima pressio non ferenda; oris lineamenta maximopere mutata, frequentissimus pulsus, conscientia integra. Die sexto symptomata adhuc increscebant, abdomen vehementissime dolebat, vomitus iterabatur, pulsus miserabilis (ictuum centum quadraginta.) Diei insequentis tempore pomeridiano hora tertia mors consequebatur. Secto cavo abdominali haec reperiebantur: modica copia liquoris serosi purulenti, odore carens, ex abdominis cavo profluebat. Intestini tenuis tractus maximi erant, diaphragma usque ad quartam costam promoventes, gas continentes odoris foetidissimi, inter se flavis, mollibus facile discindendis pseudomembranis juncti, peritoneum relinquentes inopertum, non injecti. Quatuor vel quinque centimetra a coeco planitiem magnitudine librae (nummi francici) nigricantem, non perforatam ostendebant. Loco hujus crustae intestini diametros duodecim tantum millimetra explebat, et super hac coarctatione, fere decem vel duodecim centimetra sursum magnus numerus ulcerationum exstabat, vel majoris vel minoris profunditatis, quarum una totam intestini crassitiem obtinere atque adeo in mesenterii laminas invadere videbatur; ceterum intestinum tenue magnam prae-

terea copiam flavidae materiae, cujus pars inferior bonae qualitatis, continebat, parietesque illius prorsus erant incrassati, maxime cum damno tunicae muscularis. Colon ad volumen minimum redactum perpauca tantum tenebat excrementa; hepar et lien integri.

Hoc in casu sane duae conveniunt res, quibus meteorismus adscribi potest: primum quidem intestini coarctatio, gasi exitum intercludens, praesertim quum adhuc liquor stillaticius adesset, per quem illud penetrare debuisset; tum ulcera intestini, quae utique de gasis evolutione praeter normam aucta nos cogitare sinant. Equidem autem semel vidi meteorismum subito exoriri, gastricis, ut ajunt, symptomatibus non praegressis, praeter alvum lentiorem, quam quidem aegrotus jam questus erat, quum adhuc bona uteretur valetudine. Mortem meningitis tuberculosa adduxit. In sectione tres ansae intestini tenuis inter se concretae inveniebantur, per unam concretione formatarum ansarum pars intestini penetraverat, per ansam incarcerata erat et supra incarcerationem haud exiguus meteorismus exstiterat. Hic de alienata gasis evolutione sermo fieri non potuerit, quoniam reliqua intestini conditio ne minimam quidem abnormitatem offerret.

Unde in peritonitide meteorismus proprie pendeat, nondum licet constituere; fortasse impeditus inflammato

peritoneali integumento intestini motus peristalticus causa est, cur gas in intestino retentum novo semper accedente ad copiam increscat abnormem. Quae hypothesis probabilis foret, si modo meteorismus cum alvi obstructione constanter complicatus esset; at observationes supra relatae hoc refutant. Restat igitur, ut morbosam gasis evolutionem aut merum membranae mucosae aegrotantis productum, aut stillaticiorum secretorum ponamus. Num autem omnino alienata gasis evolutio exsistat, affirmare non ausim, quia gasa ex meteorismo mortuorum nondum accurate explorata, igitur nondum probatum est, ea in compositione ab illis in organismo sano praesentibus differre. Sed ut morbosa gasis evolutio sumatur, opinioni eandem debere originem suam membranae mucosae aegrotanti, hoc repugnat, quod ipsa in intestini affectione ea, quae in membrana mucosa sedem habet, in catarrho intestinali meteorismus nunquam reperitur.

Frequens symptoma meteorismus porro est in typhoso quem vocant processu morboso. De quadraginta sex typho absumtis Louis in triginta quatuor meteorismum vidit, in quorum parte dimidia magnum in gradum evolutus erat. Diversas summas circa frequentiam meteorismi consequimur, si casus, quod attinet ad eorum spatia, componimus. Sic meteorismus in tribus ex decem intra octavum et quintum decimum diem defunctis, con-

tra in quinque de septem intra quintum decimum et vicesimum diem mortuis, in undeviginti de viginti intra vicesimum et tricesimum diem absumtis et in quinque ex novem post diem tricesimum defunctis exstabat. Vehementissimus in illis processit, qui intra sextum decimum et tricesimum diem obibant.

Tempus, quo prodierit, non licet accuratius definire; attamen apud eos, qui ante diem vicesimum succumbebant, plerumque brevi tantum tempore (duobus vel quinque diebus) ante obitum apparebat. In iis, qui intra diem vicesimum et tricesimum emoriebantur, et ubi apud duodecim in gradum maximum evolvebatur, undecim vel quindecim diebus ante obitum uno excepto casu comparebat. Hic quidem tertio morbi die (vicesimo sexto Aprilis) jam levis meteorismus prodibat. Die tricesimo Apr. abdomen jam valde intumefactum erat, sedesque involuntariae. Inde a tertio usque ad nonum diem Maji meteorismus persistit, sed nonnihil minor, semper autem crebrae et involuntariae sedes: quibus sub symptomatibus septimo decimo die fato functus est aegrotus. In sectione quadraginta horis post mortem instituta, jam antequam cadaver aperiebatur, meteorismus in oculos occurrit. Intestinum tenue solito latius erat, magnamque muci ac bilis continebat copiam. Membrana ejus mucosa erat alba, rubre distincta, superiore parte quarta

nonnihil incrassata, dimidio superiore qualitatis bonae, inferiore emollita, ubi multae glandulae Peyerianae exstabant, quarum alia pars alii appropinquabat, quoniam solito crassiores et longiores erant. Duae glandularum moles in superficie perparva ulcera ostendebant. Intestinum crassum vehementer erat inflatum. Volumen a coeco usque ad rectum millimetrorum centum octoginta quinque et centum quadraginta habebat, et praeter gas copiam sat magnam prasinarum materiarum pultacearum continebat. Membrana ejus mucosa crassitie extensioni intestini congruebat, itaque incrassata existimari debet, qualis quoque visa esset, si intestinum volumen habuisset consuetum.

Qui post diem tricesimum e vita discedebant, apud eos intra diem octavum et tricesimum meteorismus procedebat. Plerumque usque ad mortem constabat; apud nonnullos (Louis quatuor refert casus) intra vicesimum et tricesimum diem defunctos perpetuo progrediebatur; apud alios (in casibus tribus) nonnullis diebus ante obitum decrescebat, et in casibus duobus, quorum in uno post diem morbi tricesimum octavum, in altero vero post sexagesimum quintum demum apparebat, semper in breve modo tempus ingruebat. Sedes, quam meteorismus in cadavere obtinet, in intestino crasso esse solet, interdum tenue simul inflatum est. In aegro, quem meteorismus

die vicesimo primo corripiebat, usque ad vicesimum sextum (quo moriebatur) increscens, sectio intestinum gase foetido vehementer extensum monstrabat, insuperque aliquantum muci continens; glandulae Peyerianae rubefactae erant et nonnullae valde prominentes. Intestinum crassum egregie dilatatum erat.

In typho cum exitu in sanitatem. Inter quinquaginta hoc morbo correptos, quos Louis observavit, quadraginta meteorismum passi sunt, circa tempus invasionis, vehementiam et spatium rursus diversissimum.

Apud quatuor personas septimo vel octavo die prodibat, apud aliam nono, apud tredecim intra decimum et duodecimum diem et, apud plerasque etiam serius; ubi morbus lentius decurrebat, adeo post diem vicesimum alterum. In septem casibus meteorismus haud exiguus, et maximus quidem erat paullo post incessum, in ceteris plerumque tantummodo levis. Plurimum magnitudo variabat. Quum decresceret, hoc solebat paullatim fieri, aliquando etiam maxime subito.

Spatium, quod explebat, quatuor vel quindecim dierum erat; apud nonnullos horas tantum viginti quatuor constabat.

In universum vehementia meteorismi majori vel minori intensitati symptomatum ceterorum accommodata erat. Quae vidit Louis, ea cum doctoris Barth anim-

adversionibus congruunt. Viginti ex typhis, quos vidit, cum exitu letali, meteorismus tribus tantum aberat et de sexaginta quinque cum exitu prospero, quinquaginta meteorismus comitabatur.

Quod spectat ad aetatem hominum affectorum, circa complicationem cum meteorismo discrimen nullum deprehendimus. Barthez et Rilliet eum in duabus de tribus partibus infantum correptorum cernebant (igitur tam frequenter apud hos quam apud adultos invenitur), et hic etiam in casibus vehementioribus crebrior esse videbatur quam in mitioribus, quod apud eos, qui moriebantur frequentior exstitit quam apud sanatos. Hic rursus quaestio oboritur, quae sit in typhoso processu morboso meteorismi causa. Sedes consueta, intestinum crassum, ipsa est tractus intestinalis ea pars, quae in sectione pathologice minimum mutata reperitur, et si quando affectio quaedam obvenit, hanc patet consecutionem esse affecti intestini tenuis, quoniam ejus affectio semper jam multo plus processit. Et quamobrem in multis typhis nullus exsistat meteorismus, in quibus anatomia pathologica plane eadem demonstrat atque in aliis, ubi meteorismus gradu exstiterat summo? Quodsi increscenti putredini originem meteorismi tribuere volueris, qua ratione tum explices, multis in casibus meteorismum sub mortem evanescere, ubi quidem aperte pu-

tredo increscere debeat? Universalis vero sanguinis depravatio, cui typhosus processus morbosus omnino saepe adscribitur, non magis potest unica causa meteorismi esse, quia meteorismus in typho tum constans esse, et porro in aliis processibus morbosis, ubi revera sanguinis adest depravatio, exstare deberet, quum tamen in iis desideretur. Ergo facere non possumus, quin nondum cognitam conditionem in typhoso processu morboso ponamus, cui suam meteorismus debeat originem.

Jam quod meteorismum in aliis processibus morbosis obvium attinet, is quidem rarissimus est. Sic Louis de aegrotis viginti quatuor, ex morbis non typhosis acutis mortuis, quorum plerique diarrhoea laborabant, nonnisi in sex meteorismum vidit, et ex his in duobus tantum insignis fuit. In priore horum casuum una cum meteorismo gasis accumulatio in sacco peritoneali (tympanites abdominalis) locum habebat. Aeger erat aedituus annorum sexaginta quinque; nosocomium adiit die sexto mensis Septembris. Ex annis viginti haemorrhoides passus erat, quae decem annis posterioribus fluxerant; ex diebus duobus se aegrotare sentiebat. Ab initio cephalalgia, vehemens frigus, inopia ciborum appetentiae; sinistri lateris artus tibiotarsalis rubefactus. Frigus, nausea et vomitu comitantibus, sex horas persistebat, tumque vehemens calor siccus insequebatur, qui exinde per-

petuo continuabatur. Ceterum neque diarrhoea, neque gastrodynia aderat; urina rubra, intellectus non perturbatus, nulla ad somnum inclinatio. Septimo die Septembris cephalaea acerrima, pulsantes dolores in brachiis, intellectus nonnihil impeditus, nonnulla dormiendi cupido; sinister artus tibiotarsalis valde dolorificus, paullum tumefactus, et finibus non accurate distinctis rubefactus. Lingua sicca, in medio rimosa, in marginibus normalis; sitis magna, deglutitio expedita, appetitus inopia; abdomen laxum et insensibile; nec nausea neque vomitus, alvus obstructa. Pulsus fortis et regularis (octoginta quinque ictuum); temperies mediocris, cutis sicca, nonnihil injecta: normalis respiratio, tussis nulla.

Die octavo m. Septbr. Pes sinister rubrior, magis tumidus magisque dolens quam pridie, ceterum immutatio nulla. Nocte sequente leve delirium.

Nono d. Sept. pedis rubor stricte circumscribitur, proditque oedema et desquamatio incipit. Hinc usque ad quintum decimum diem (quo mors ingruebat) symptomata haecce erant: fere perpetuo lethargus, ex quo quidem aegrotus facile excitari potest. Decimo et undecimo die delirium maximum, quod thorace constringente applicato temperatur. Oris lineamenta laxantur, tumor pedis increvit. Digitus minimus manus respondentis crassus ruberque est: quae symptomata duobus diebus poste-

ris adhuc augescunt. A decimo die praeterea diarrhoea exoritur, sedesque consequuntur involuntariae et copiosae. Ex septimo die meteorismus comparuerat, qui postea augebatur, abdomine ad tactum nunquam dolente.

Sectio. Missis iis, quae malum locale in pede, sicuti cava alia offerebant, ad abdominis cavum aggrediar. Extensio abdominis maxima erat. In incisione in parietes abdominales (nullo intestino percisso) gas odore carens emanabat, cujus volumen, decrescentia ambitus abdominis collata, fere quatuor explebat verres, ut Francogallico utar vocabulo. Ventriculus magnitudinem, si consuetam comparamus, duplam habebat et liquorem continebat flavidum. Membrana mucosa erat flavida, aliquantum emollita suoque volumini crassitie conveniebat. Intestinum tenue gase modice inflatum, non multum flavae bilis et muci tenebat. Ejus membrana mucosa albida erat bonaque consistentia, exceptis tredecim ultimis centimetris ilei, ubi erat emollita. Glandulae Peyerianae prorsus erant sanae. — Intestinum crassum materiem continebat faecalem, nec exiguo erat volumine. Ejus membrana mucosa sanissima erat, glandulae mesenteriales minimae. Hepar molle et facile ad rumpendum, nec minus lien. Renes volumen nonnihil auctum habebant; substantia corticalis emphysematosa, crepitans et

externe tuberosa. Inter vesicam urinariam et prostatam cystis erat serosa. nucis magnitudine.

Multa sunt, quae hoc in casu ad typhosam affectionem statuendam nos moveant; contra typhi symptomata desunt gravissima. Nominatim initio decrat diarrhoea et gastrodynia. lentiformia puncta rubra. sudamina et rhinorrhagia. Deinde adversus typhum potissimum summa aegri aetas pugnat. sicut omnium affectionum glandularum Peyerianarum defectus. — Altero in casu perinde quaeque affectio glandularum Peyerianarum desiderabatur. Meteorismus prope per totum morbi spatium (dies quadraginta) gradu sat alto perstiterat. Intestinum prorsus erat sanum.

Quater (in quinquaginta sex aegrotis) Louis in pneumonia et pleuritide exiguum deprehendit vestigium meteorismi. et nullum in octoginta sex ex enteritide laborantibus. Unde meteorismum ad diagnosin in typho statuendam non minimi esse momenti apparet. — Idem observationibus Andralii evincitur, qui e. g. in gastritide, vel ubi alvi obstipatio pertinacissima erat, nullum invenit meteorismum. Inter aegrotos typhosos pariter eum reperit in duabus fere de tribus partibus; hic quoque in casibus infeliciter decurrentibus crebrior erat, magisque evolutus, quam in sanationibus, quare prognosi infaustissimus judicari potest. Semper eum simul cum

pessimis symptomatibus aliis (verbi causa delirio) cernimus, aut his paullo post insequentibus.

Hoc equidem agere non poteram, ut conditiones, sub quibus meteorismum nasci necesse sit, proponerem, quum non satis mihi suppetant observationes. Qua de causa seriem rerum, quas alii medici, observatores diligentes spectati collegerunt, composui, ex quibus nonnihil accuratius de hoc nondum multum explorato morbo cognoscatur. Constat autem in casibus plerisque meteorismum ortum suum rei nondum accurate investigatae acceptum referre, quia in peritonitide aeque atque in typho saepenumero sub conditionibus plane oppositis prodit; sed a tempore postero expectandum est, num literis progredientibus ista res reperiatur.

V I T A.

Natus sum ego, Guilelmus Adolphus Wollmann, fidei addictus evangelicae, anno hujus saeculi undevicesimo Vratislaviae, patre Guilelmo Friderico, mercatore, matre, e gente Freege, quibus parentibus adhuc vivis et integris summopere laetor. Primis literarum elementis domestica institutione imbutus, primum gymnasium Glogaviense evangelicum frequentare coepi. Inde, jussu parentum, Lignitium me contuli, et in academia equestri id, quod leges jubent, temporis spatium exegi. Hinc maturitatis testimonio instructus, anni h. s. XXXVIII. tempore verno in almam Viadrinam literarum sedem discessi, ubi ab Ill. Abegg, rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, et apud Ill. Otto, medicorum ordinis t. t. decanum, nomen rite professus, his doctissimorum virorum praelectionibus interfui:

Ill. Benedict de instrumentis et fasciis chirurgorum; Ill. Braniss de logice; de psychologia; Ill. Fischer de chemia experimentali, de chemia pharmaceutica; Ill. Glokker de mineralogia; Ill. Goeppert de plantis officinalibus, quo eodem duce excursionibus botanicis interfui; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Nees

ab Esenbeck de botanices partibus nonnullis; Ill. Otto de osteologia et syndesmologia, de anatome corporis humani universa, de anatome comparata, de hominis brutorumque anatome pathologica, de historia foetus, de sectionibus forensibus, qui quoque artem me docuit cadavera rite dissecandi; Ill. Pohl de physices hodiernae systemate; Ill. Purkinje de physiologia.

Inde Lipsiam aggressus, Ill. Weber scholas adii et anatomicas et physiologicas, nec minus Ill. Heinroth de psychiatria lectiones.

Anno peracto hanc petii almam literarum universitatem, et Ill. Lichtenstein rectore magnifico apud Ill. jam beatum Osann, t. t. ordinis medici decanum spectatissimum, nomen rite professus, hisce doctissimorum virorum scholis operam dedi:

Ill. Mitscherlich de materia medica, Ill. Jüngken de chirurgia, Ill. Schoenlein de pathologia et therapia. Ceterum scholis clinicis interfui: medicis Ill. Schoenlein, Cel. Wolff, chirurgicis atque ophthalmiatricis Ill. Jüngken, Ill. Dieffenbach, obstetriciis Ill. Busch.

Quibus viris illustrissimis, celeberrimis, optime de me meritis, gratias ago habeboque semper quam possum maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, sperò fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur. --

THESES.

1. Hypotheses medicinae sunt perniciei.
2. Ira in hepar ejusque morbos specifice non agit.
3. Sanationum methodi, quas vocant mirabiles sympatheticas, interdum non modo felicium, imo etiam rationalium laudem sibi vindicant.
4. Systemata artificialia exanthematum medicum non juvant. —